OSTENTA QVÆ IN PARTVBVS. CAP. LXXVII.

Infans cum duplici ore, quid significet.

CONSTANTII tempore natus infans duplici ore, duobus dentib. quatuor oculis, duabus exiguis auribus, barbaq;. Inquit Ammianus, mutationē reipublicæ in deterius significasse: eoq; præsertim quod nō expiatū sit hoc prodigiū. Natū aūt est in Daphne urbe regionis Antiochiæ. Quot uno uerbo admisit errores hic uir? Primū quòd pòst successit Iulianus, quem optimum ille imperatorem fuisse affirmat, longeq; Constātio meliorem. Deinde, quid Romanis profuerunt tot expiationes, cū prodigijs moniti Cæsari succubuerunt amissa libertate? Quòd si futurū est malū, quomodo expiabitur? Si nō, quid opus est expiatione? Alij ex aduerso insurgūt: nullā his fidē adhibendā, quod dæmonis sit præstigiū? An dæmon potest formā humanā mutare? Si sic, delebit eam: si Dei permissione, igitur Dei est hoc factum, nō dæmonis. Deus enim nihil per se facit. Agūt omnia illius ministri, angeli, natura, cœlū, etsi aliquid aliud est: hoc totū tamen Deus agit. Demonstrabimus aūt inferius, dæmonem nihil agere corpulētum. Quòd si dæmonis factū non est: neq; interpretatio sed naturalis: ut etiā generatio. At Moyses prohibet talia animad uertere. Multa dicit, Dominus concessit ad emolliendā duritiē cordis Iudæorū: ita multa prohibuit, ne in idolorū cultum, in quē Aegyptiorū consuetudine proni erant, ruerent. Significauit igitur hoc monstrum, duplicem imperatorem: quòd factū est Iuliano Augusti autoritatē usurpante. Nam quadruplices oculi, duplicem prospectum, duplicia ora, duplicem linguā quæ imperat. Duo dentes atrocitatem & pugnam,

gnam, ut contentio ultra uerba progrederetur. Barba, dolosum & uafrum eum qui sequeretur, & qui arriperet, ac bellicosum. Cũm enim homo barbam emittit, fit fortior, prudentior, & dolosus magis. Aures paruæ significant paruum robur. Atq; ita breui apud Persas succubuit. Significant & paruæ aures sagacem & discretũ, ut equi, in comparatione ad asinos, & simiæ pro molis corpore. Cæterũ partus monstrosi ob id significãt mala, ut cruda urina in morbis. Nam naturã aliò intentam esse, & à recta uia aberrare demonstrant: quoniã in tam nobili opere nisi destituatur, aberrare non potest. Sic infante nato in Britannia, cuius genitalia genitalibus inserta erant, crura commixta ut in duo redirent, cætera duorum, caput, brachia, uenter, atq; ex aduerso positi, mortem regis, mutationemq; regni, & sororis successionem ostenderunt. Anno M.D.XLIIII. mense Ianuario, nata est puella biceps, reliqua autem omnia unum corpus referebant: nam bina crura, bina brachia, uulua una, sed tamen cùm amicus noster Gabriel Cuneus chirurgus, discipulusq; meus, eam me absente dissecuisset, primo quidem gulam interiorem (sunt qui meri uocant) ac cum eo uentriculum inuenit geminatũ, sed tamen in fundo coibant: ibi pylorus unus, attamẽ ex eo intestina gemina exoriebantur: ut uterq; ordo duplicatus esset illorum præter quàm in recto: nam in illo rursus in unũ coibant: sicq; ad anum finiebatur. Erant autem feces in ambobus, pulmones gemini uisebantur, atque hi nulla ex parte in unum coibant. Cor paulò altius quàm in alijs esse solet, υ literam Græcam referens: bifidam scilicet, sed tamen in una sede. An uterq; uentriculus superior in eo esset, haud explorauit: iecur crassum ualde oblongũ, sed absq; penulis seu additamentis, atq; ideo informe: spina dorsi duplicata, distabatq; una ab altera digiti magnitu-

Partus monstrosi cur significent.

Infans duplici corpore ad genitalia usque quid significet.

Puella biceps.

magnitudine, unaquæq; suo inseruiẽs capiti, & usq; ad crus quod sibi in directo erat, ferebatur. Dentes inferiores anteriores quatuor, superiores autẽ duos tantũ sed magnos, uerũ inferiorib. duriores, ac paulò solidiores: sed tamẽ qui nec ipsi dentis exquisitã præferrent duritiẽ habuit: renes duplicati, uterus & uesica minimè. Orta est mense nono, & absoluta, ac etiam corpulenta. Verũm in ipso ortu, ob errorem obtorto collo unius ab obstetrice, idem dies eademq; hora fuit qua tenebras mortis & uitæ huius lucẽ experta est. Manifestum est igitur idem in his cõtingere quod in fructibus: duas tentauit natura creare puellas: in ipso exortu principalium membrorum collisa atq; constricta sunt omnia præter caput, omnia igitur principalia præter cerebrum in unum coiuerunt, fuerunt tamen potentia duo: quæ autem posterius creata sunt, uelut uterus brachia, et extrema, ab uno tantùm principio & tanquã in uno fœtu sunt absoluta. Ergo cerebrum prius creatur inter omnia, nõ cor, quemadmodum dicit Aristoteles: aut simul cum alijs, ut Galenus censet: nam plures bicipites infantes uidere contingit: qui autem geminum corpus habeant, atque unum caput, non ita. Atq; hæc infausta, & (ut dixi superius) ad fœmineos mores, ac successus ducum pertinent: hæc quidem mollia: masculorum, crudelia: utraq; infausta.

Infans ex cane & muliere.

Refert Volaterranus, natũ ex cane & muliere infantem forma humana in superiore parte: atq; expiationis causa ad Pontificẽ delatum. Id uerò mirũ est, nimis dissentientib. inter se genitalibus, tum forma totius, & pariendi tempore. Itaq; satis de hoc an contingere possit, dubito. Sed tamẽ cũm uideamus ui stellarum sola id contingere, quid prohibet, ne etiam cum seminis alieni auxilio id fiat? Diximus autem & de hoc alibi.

HIERO-